

## CLASSIS XI.

## DODECANDRIA.

## PENTAGYNIA.

## GLINUS.

31. GLINUS *lotoides*.

*Alfene lotoides sicula.* *Bocc. rar.* 21. t. II. f. 2. *Jus. Barr.* 47. n. 478. (ic. 336.) *Tournef. inst.* 242.

*Habitat* in Estremadura Hispaniæ. Legi ad aggeres sepiales locis argilloso-glaredsis prope Talavera del Badajoz & in rivulo exsiccato, sabuloso, versus Miajada inter Meridam & Truxillo.

*Radix* magna, simplex, longe descendens, fibrillis lateralibus; annua tamen videtur.

*Caules* plures, longi, pedales circiter, undique diffusi, procumbentes, subglabri, ramosi & quasi articulati: articulis ad ramificationes parte inferiori crassioribus, pubescentibus.

*Rami* alterni, laterales, iterum similiter ramosi, cauli consimiles, magis pubescentes.

*Folia* obovata, petiolata, bina vel sæpius terna, caulem vero non cingentia, semper enim ad alterum latus (superius) caulis inserta sunt. *Petiolus* folio dimidio paulo longior, supra planiusculus.

*Flores* subsessiles, ad genicula & folia acervatim conferti, ex caulibus supina parte semper oriundi.

*Pedunculi* brevissimi, calycis circiter longitudine, pubescentes.

**CAL.** *Perianthium* pentaphyllum: foliolis ovatis, acutis concavis, erectis, persistentibus, pubescentibus.

**COR.** nulla. *Filamenta* plana sæpe coalescunt mentiunturque petala parva, inæqualiter bifida, luteo-viridia, calyce breviora.